

III. *Per cultum externum superfluum & ceremonialem simpliciores a vero cultu interno abduci, dum facile actibus externis omnem pietatem absolvi sibi imaginantur.*

§. 9. Vi positi criterii hæc cultus externi addenda erunt capita.

CAP. VIII.

DE INVOCATIONE DEI.

§. 1.

Quod Deus per preces implorandus sit, inde probatur, quia hoc ipso declaramus nostram *fiduciam in eum*, quodque illum habeamus pro fonte nostræ felicitatis, per cujus benignitatem a miseria liberari, & in statum felicem collocari possimus, ita ut omnia nostra destinata per potens ac sapiens ipsius auxilium prospere succedant.

§. 2. Est autem Deus implorandus non solum propter *bona mentis*, sed etiam propter *bona corporis*; quandoquidem æque necessarium est corpori quam animo certis frui bonis.

§. 3. Hic autem pietas exigit, *ut preces nostræ fiant cum intentione Deum colendi*, adeoque cum *attentione, animi subjectione & fiducia*, quia alias cultus externus esset separatus ab interno, id quod supra datæ regulæ repugnat. Ergo impiæ sunt preces illorum, qui eas fundunt *sine attentione, ex consuetudine & ostentationis*

K

tionis